



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 2. Bituntini Episcopi oratio ad Synodi initium habita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæc XVI. Præsul ceteris eloquentia præcellere
 A C 1545. crederetur.

§. II.

*Bituntini Episcopi oratio ad Synodi
 initium habita.*

Philipp 4. Præprimis Bituntinus Episcopus ora-
v. 11. tioni suæ illa D. Pauli verba præfi-
2. Cor. 6. v. 3. xit: *Gaudete in Domino . . . Ecce nunc*
Labbe Coll *tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*
Concil. p. 490 Præmissis hisce verbis ostendit, quod
Pallav. l. c. summa necessitas Synodi convocatio-
c. 18. nem suaderet, ut refloresceret pietas,
 quæ ob diuturnitatem temporis, quæ
 nulla Concilia fuere celebrata, in Chri-
 stianorum cordibus languere, ac ferme
 extingui cœperat. Postea enarrat com-
 moda, quæ Christi Ecclesiæ ex Synodis
 accrevere, quot, inquit, *in Concilio*
fidei Symbola sunt facta, hæreses damnatae,
mores emendati, ac nationes Christianæ rur-
sus unitæ? Post hæc hic Orator ex Ro-
 manæ Curia sententia proferebat quæ-
 dam de exercitibus ad recuperandam
 terram sanctam contra infideles con-
 scriptis, nec non de Regibus atque Im-
 peratoribus folio deturbatis, & de aliis
 rebus, quas ego silentio prætereo, nec
 illas hic Episcopus tanquam Vir erudi-
 tus unquam argumenti loco allegare de-
 buisset, quia corruptelæ nullo unquam
 tempore juris vim obtinere valent. In-
 fu-

super idem proluxa admodum excursione in Pontificis laudes facta, etiam aliqua licet verbis sat paucis in commendationem Cæsaris afferebat, & tandem trium Cardinalium Legatorum merita deprædicabat, demum sermonem ad Prælatos convertens agebat, *non aliud esse aperire januas Concilii, quam aperire portas Paradisi, unde aqua viva descendit ad terram scientia Domini saturandam: Patribus igitur de emendatione sollicitis cor aperiendum velut terram aridam ad irrogationem eam accipiendam: si id cordi non habeant, Spiritum sanctum nihilo minus aperiturum illis os, sicut Caiphæ & Ballaam, ut errante licet Concilio Ecclesia sancta non erret.* Tandem illos hortabatur, quatenus omnes seponant mentis affectus, ut vere ab iis usurpari possit illud: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Insuper Concilium æquiparabat Equo Trojano, hædosque ac cervos, sylvasque & nemora, ad personandam eorum lætitiā invitabat, totque alias allegorias non minus insipidas quam risu dignas congeffit, ut omnes auditores hunc sermonem carperent, illi vero, qui emunctioris naris erant, non sine indignatione recederent (*).

§. III.

(*) Videatur omnino Pallavicinus, qui Petrum

trum